



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

[Asinvs Dialogus.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

P. Summontius Suardino Suardo, ex
Francisco Poeto. S. D.

S uadentibus uobis, meq; ad editionem hanc assidue adhortatibus factum est, ut prodire iam in lucem non desinant reliqua Pontani monumenta. En uobis Dialogus ille ultimus, superiori excusatione a me promissus. cuius lepidio argumento Pontanus in cuiusdam ingratitude clam inuehitur. Iustam itaq; indignationem mandare literis cum uellet, eam sale huius libelli condijt. Quare absolutis hac editione omnibus, qui supererant, Dialogis, ad reliqua nos acingite. quorum lectionem certo scio longe uobis fore suauiore, quam Antinianæis e uitis olim fuerit liquor ille, ad quem uos Pontanus sobrios in primis, atq; abstemios ambos apud Aegidium suum inuitauit. Quamquam sorbillatione ex ea nunquam uel summa labia intinxistis. Sed nostis quantum liceat rerum scriptoribus. Valete.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DIA
 LOGVS DE INGRATITVDI
 NE QVI ASINVS IN-
 SCRIBITVR.

Viator. Caupo.

VI.

A CEM Romæ factam esse aiunt, eiusq; Poe-
 tam nescio quem authorem referunt. Ego quidē
 Poetæ huic uel grandiusculo propinauerim.
 Amabo meritoria huius ecqui se caupo, ecqui
 se minister offerat? CAV. Equidem pacem hanc
 siticulosam esse Augustus ipse abunde docet. Eu-
 ge puluerulente letare hoc nuntio, & offulam hanc pepono è sua-
 wissimo accipe, cyathumq; hunc uel tertio ductandum ebibe. VI.
 Ebibo. Da queso & alterum. CAV. Pax igitur facta est? VI.
 Pa, pa, pax. CAV. Amabo resipisce, atq; inde loquere. Vel pul-
 uerem quidem bellissime homuncule tibi palliolo excutiam. Hauri
 puer & secundum, & tertium, & quidem recentissimum. Pax ne
 facta est? O' bone Laurenti, dies hic tibi sacer est. Noces à me quotan-
 nis expectato quamplurimas. Pax ne facta est? anniuersarium tibi sa-
 crum cauponarium ex uoto statuo. O' misellam cauponam. Ecquā
 do ne mihi, frondenti apio, laureo redimitas ferto, exteriores foris,
 internas cellulas liceat coronare? Verum ego sum stultior, occiden-
 te iam sole, diem qui ad exortum reuocem. VI. Atqui felicissi-
 mum te te, ipsamq; cum primis tecum cauponam dicito. Pax diem
 instaurabit. Pacem in foribus, atq; in tabella pingito. Lucrum ti-
 bi uinariū, emolumentumq; pulmentarium omnis generis, ingens,
 largum, opulentumq; augurator. Eueniet, mihi crede, eueniet. Tu
 tibi bene habe, cupasq; ex urbe comportato huc uinarias. fac ri-
 deant fores, effice ut omnis & domus & hortus renideat. Pax hæc
 imperat, pacisq; amicus Euhys, caupone ipsius atq; cauponantium
 pater. Ego Neapolim propero, triente exucto CAV. Bene mihi fo-
 re pace ex hac & libens uolo, et libētius auguror. Agite qui adestis
 ministri, cyathos eluite. Socij talos iacite. hilaremus diem hunc paci.
 Adest quaternio. quarto tibi potandum edico. Adest rursum quater-
 nio. rursum tibi ductandum hoc est, udum, rorans generoso è pal-

mite. Ah ah. cecidit canis. Tu quidem ipse sities, ut illa est siticu-
 losa, hoc ipso praesertim tempore. En iterum canis allatrauit. licet si-
 ti conficiare, tam male fortunatus qui sies. Euge euge tibi caupo, adest
 senio, adest rursus & senio. mihi augurium hoc promittitur, mihi du-
 ctandum est. uel septies quidem decies iterato ductitabo. quippe qui
 ualentibus pedibus, capite ualentiori utar. compleamus hilariter nu-
 merum. At at utor ne ego recte oculis? agglomerari ne ego puluerem
 uideo agitato equino? an uentus meridiano tempore exari e mari qui
 solet, illum exagitat? equus certe est, quin equo satellex uehitur. Arr-
 gite aures. inflat ne iam bucinam? inflat profecto. regius est tabella-
 rius. poculum homini & frigidum, & generosum praeparemus. Ad-
 uentat iam, & equum calcariibus stimulat, et inflauit iam cornu. buc-
 cinam bucinatorem nec unquam quidem uidi bucinatus inflare.
 & inflat & catinnatur, & interim praconium uocalissime enun-
 tiat. T A. Captos iam scitote. C A V. Quid captos? ausculta-
 mus. T A. Qui Regem prodiderunt, qui regium nomen euertere
 ab imo, cum ipsi infimo e loco prodissent, conati sunt. Saluus est Rex.
 salua patria. saluus est Alphon sus, qui saluē comparato exercitu, ob-
 fessa Roma nobis peperit. Hilarem hunc diem facite, noctem multo
 hilariorem. Effulgeant ignes summus aediū culminibus, etiam quam
 creberrim. Conuiuia ipsis in propatulis celebrentur. Demū laeta sunt
 omnia, confecta pace, ac duce ipso uictore cum exercitu domum redeū-
 te. C A V. Age age bone hospes equum siste. potita. aestas est. pulue-
 rulenta sunt omnia. refrigera & pulmones, & guttur. T A. Nun-
 quam quod meminerim niuosius. Obsecro te poculum itera. C A V.
 & quidem ampliusculum. Sed amabo bone, postquam refrigeratus,
 qui tantum insperati affers, ut certum affers? T A. Captos scelerat-
 tissimos homines, ut reos capitis, ut patriae hostes, ut maiestatis conui-
 ctos. C A V. Pape. T A. Iam de illis capitis sententia aut fertur,
 aut lata iam est. C A V. Luant ipsi meritis poenas, quando publi-
 cam rem tam male habuerunt, ut pene regnum omne, cum ipso Re-
 ge, liberisq; pessum ierit. De pace quid autem? T A. Nostis ne Iouia-
 num Pontanum? C A V. Quid ni nouerimus, hominem ubiq; notum.
 quippe qui paucis ante diebus de itinere ac ualitudine fessus, Romam,
 conficiendam, ut nunc sentio, ad pacem illinc ab Innocentio, Alphon-
 so hinc arcessitus, meridianus hic conuenerit. et quidē miserati si-
 mus, q hic tunc affuimus, senis imbecillitatem, ac male ualentem ha-
 bitum, ut qui itineri satis non esset, his praesertim caloribus. T A. Dū
 ipsi, ut omnes praedicant, atq; ut Rex ipse testatur, seni & quidem na-

letudinario affuere, pacem enim ita confecit, ut Regi salua sint omnia, quæ amissa propè iam erant, procerum perfidia, administratorumq; iniquitate. Vos autem & paci, & patriæ propugnatori, qui pacem populis uirtute sua peperit, exornate & porticus, & compita, diesq; festos agite. Mihi alia ad oppida properandum est, publicæ lætitiæ gratia. Rex patriæ pater, publicorumq; bonorum author hoc sic imperat. Valete compoteres ualentissimi. CAV. Et tu nuntij tam auspiciati auspiciatissime author propera, ut pacem populis promulges, ut nos qui ad mendicitatem propè redacti ob bellum sumus, nuntio hoc, ab inopia uindictos bees. Dij tecum eant & duces, & comites. Mihi certum est e' suburbano in urbem properare, certiora illic de pace, regisq; rebus ut intellegam. Et iam, ut uideo, agrorum quoq; facies immutari coepit. nescio quomodo aer ipse lætiora promittit. Ego quidem somnijs ipsis fidem uel maximam censeo adhibendam, qn̄ noctibus his. equos in boues uerti, castaneas arbores abire uinarias incupas somnians uiderim. quid somnians hæc uiderim? fœtile ministranti mihi, aureum factum qui senserim? mox monetarium ad magistrum perlatum, in numos fluere, aliumq; ex alio numum gigni, confestimq; in cumulum congeri, meq; eo cumulo obrui. Coniectores quidem ipsi somnium sibi conijciant, ut uolunt, mihi profecto paci magis creditur. A beo in urbem. Vos domum exornate, qualem & pax exigit, & somnia hæc ipsa uolunt.

Caupo. Chorus sacerdotum.

CAV.

Quod mihi meisq; contubernalibus felix ac faustum sit, deorum supplicationibus urbem occupatam inuenio. quam læta populi frequentia? quam canorus sacerdotum chorus? CHO.

» Pacem cœli rector populo,

» Pacem terræ tutor peperit,

CAV. O' bene ominatum carmen. CHO.

» Nobis pacem, nobis otium

» Pacis nobis author rettulit.

CAV. At meritorie meæ lucrū, et uoluptatē, et dapinatiōes opiperas. O' me beatū. Aderūt frequētes lenonū puellæ. aderūt earum sectatores, nouitij satellites. Et iā audio, Sicilia Hispaniaq; ex itima aduectū florē scortillorū, recētissimū qdē uenereū mercimoniū, urbanæq; in-

uentutis illecebras, atq; allecamenta, meum merum solidū cupidina-
riumq; peculium. Agite sacerdotes pacem concinnite, pacem dijs im-
mortalibus acceptam referte. Ego profecto compotoribus, ganeonibusq;
meis omnibus ita me comparabo, uti basilicas apud me commissatio-
nes, basilicumq; me cauponem experiantur, prædicent, in cælum ef-
ferant. CHO.

- o) Pacem rura, pacem prædia,
- o) Pacem tecta & urbis sentiunt.
- o) Virgo plaude, nuptæ plaudite,
- o) Paci rite matres plaudite,

CAV. Mihi quidem oculis plaudendum est meis. Vt gestitis ina-
nissimū? ut animo agitatis aureolos illos Venetillos? hos ne manulitis, an
Florentinulos illos ampliusculos picturatulos, hieme etiam media per
florescentes? An oceano uectari cupitis, aurea nauicula, aureo ma-
lo, uelis etia aureis? & hoc quoq; præstabitur, ut in continenti deam-
bulantes, Britannicum secetis pelagus. Agite loculi, capite iam auras,
quis sinum impleatis. Et iam, ut uideo, oceano libare gliscitis. Ve-
rū agite, inspicite, noscite, Britanni ne hi sunt, quos Roma proficiscentes
diuertere hanc ad meritoriam uideo? An me oculus fallit? profecto ue-
stitus ipsa Britannici generis eos indicat. Accedam propius, quin Bri-
tanissimū quidem ipsi sunt. Vobis et urbem, et cantum sacerdotes relin-
quo. mihi quidem oceano cauponariam rem facere decretum est, ut ho-
die aureola cymba piscator Britanico in fructo aureum etiam rete in
profundum iaciam. Heus pueri, Bacum in iudicium ad prætorem uo-
cate. Dormientem tamen illum somno ne excitetis iubeo. quin Ver-
naciolo illum cado includite, ne somno experrectus, Britannicumq; fo-
rum, ac Britanum iudicem timens, fugam arripiat. nam & horrida
uox, sermoq; ipse horridior deterrere illum abunde potest. Tu qui-
dem concanere illos iube, quo aut somnus Baccho fiat suauior, aut il-
lo excitus, ac suauitate cantus delinitus, ludere argenteum ad poculū
cum illis cupiat. Et id quoq; præstate pueri, ut nostro in penu sit qui
Græcæ, qui Corsicæ, qui Ligusticæ sciat, etiamnum qui Creticæ.

Caupo. Viator.

CAV.

A ntiquum & notum amicū peregre aduenientem, ut libens uideo, ut
mihi iucundum est ipsum & complecti, & alloqui. VI. At ego be-
neuolentem compotorem, inuenire ualentissimum & lator, & habeo
dijs gratiam.

dijs gratiam. CAV. *Quam cum stomacho bene?* VI. *Lupum in uentriculo gero.* CAV. *Vt cum siti?* VI. *Exaruerunt pulmones calore & puluere.* CAV. *Pueri expeditissime afferte quo sitim leuet. heus expergiscimini.* VI. *Atqui consilium est prius puluerem pallio excutere.* CAV. *Date linteolum. Ministrare frigidulam, qua & os, & labra, & faciem totam perluat.* VI. *Vt me recreasti pocallo hoc crystallino? Nihil uidi unquam hoc ipso limpidius. Vt in eo salit nigellum tuum. An, ut puto, est Casorianum?* CAV. *Reluite pueri pocula. Miscete recentiusculum illud intimo e' penu. Afferte. Centuresium hoc est. Cape beniuolentissime homo. Labra delibatim pertinxeris, pedes illico sentient. Mihi crede illo in dolio Bacchus cum uere lusitat, totum adeo doliolum sios est merus.* VI. *Atqui putarim eo e' dolio aurum scaturire. aurum profecto linquentissimum digitis teneo, fusile quidem hoc est, & potatile, ut dicunt. Labellatim profecto ducam non uno haustu. Euge Bacchi deliciolum. Anima mihi ipsa congeminata est olfatu solo. uiden ut ipsum aurum aurescat in cyatho? Anima mihi ipsa trigeminata est labellatu uno.* CAV. *Salue mi Geryones, salue hospes Atlantice.* VI. *Quid miru' triplicem me factum, si Centuresium potito? si tuu' istud mihi penu Atlanta est ipsa illa beatorum insula.* CAV. *Ah ah, ah. Delinge amabo & hoc (iniuria enim si hauseris, cadillo feceris) & quidem substrictissimis labris. Fastinianum hoc est, merum quidem Fastinianum, reliquiae non cadi modo huius, uerum totius Campani penoris. Itaq; sublibare te illud & quidem haustillatim uolo.* VI. *An forte uerendum est, ne hodie Fastinianum hoc tuum nobis exhibeat negotium? Scis quam mihi non placeat fastus. Et hos quidem ipsos uereor Hibernici generis homines, fastum in naso qui gerunt.* CAV. *Nihil Fastianino hoc tuo suauimoratus est, rixas mirum est quantopere fastidiat somni solius amicum, atq; blandiloquentiae. Sed amabo Hiberni ne sunt hi?* VI. *Quin horum aliquot Scotia nuper ab ultima Romam deuecti.* CAV. *Quae nam aduentus causa?* VI. *Animi peruiacacia quaedam, dum persuadere sibi nullo modo possunt, Romano Pontifici liberos esse. Itaq; inuenerunt Pontificem ipsum filij nuptijs praesidentem aurato in solio, filiam uero Romanas puellas inuitantem ad choreas, atq; ijs ipsis nuptiarum diebus, natam pontifici filiolum alteram, mirificam mihi crede Christianae religionis comprobationem.* CAV. *Qui nam?* VI. *Si enim Deo nascitur nepotuli, nunquid non necesse est Christum ipsum mulieris utero prodissse?* CAV. *Sane probatissimum argumentum. Proficiscendi autem*

Neapolim quæ nam causa? VI. Leonardum primo Apulum, Ba-
rensem inde Nicolaum, post Hierosolymam uidere cupiunt, nani
comparata. CAV. Et probum & piûm consiliûm. VI. Mis-
sa hæc nunc faciamus, quando refrigeratæ mihi uires sunt. Iube
his apparari coenam, atq; ita quid m uideto, cœna ut sit. CAV.
Quid hoc uerbi est, cœna ut cœna sit, non intellego. VI. Quæ
sit opi pera, quæ pluribus sit satis, quæ sit bibax, loquax, som-
nolenta. CAV. Bellissime habeo. Agite beniuolentissimi ho-
spites, secedite in umbram. conuiescite. sedate & sitim & astum.
opulentissime pariter & lautissime mecum uobis erit. VI. At
qui Italice nihil intellegunt. CAV. Tute igitur illis blandire,
atq; ut potissent & quidē q̄ recentissimum uide. Mihi curæ id fuerit,
Britanice ut discumbant.

Altilius. Pardus. Chariteus.

AL.

Iudicabam actum cum Ioniano felicissime, quod pace parta, regias
res prope afflictas, magna sua cum gloria, maiore populorum tran-
quillitate, non restituisset modo, uerum etiam stabilisset. Quanto
autem secus & illi, & nobis qui eum amamus, & colimus, accide-
rit, dicere dolor prohibet, neq; enim contingere aut illi indignius,
aut nobis inasperatus potuit. PAR. Quid hoc est quod te tanto-
pere sollicitum, ac male habet? nam & uerba metior tua, & rem
ipsam mirifice suspicor, neq; illud me parum turbat, quod hora tam
intempestiua conuenire me uolueris, cum præsertim uouerim in agē-
dis rebus pensitatio quæ sit tua. AL. Quid tu aut me sollici-
tum, aut male habet, loqueris? quin cruciat, torquet, uexat, animum
ipsum conficit. PAR. Mali ne tantum ex te audio? AL. Summū
q̄dem malū. An non et summum, et publicum tibi uideatur malū?
senem in quo tantum publice repositum esset tum opinionis, tum spei,
cœpisse iam repuerascere? PAR. Quid repuerascere? AL. An nō
puerum tibi uideatur senex agere, qui annos circiter sexaginta na-
tus, magnisq; honoribus functus, asinum sibi magno comparaue-
rit, fericisq; instratum ornamentis ascenderit? Atq; aurato freno, au-
ratis habenis, uersiculos etiam nescio quos amatorios cantitantem
uehi a sello in publico non puduerit. Quodq; importunissimum
dicat, ad motis etiam calcitribus, equitem agere procurrentem uolue-
rit. Abeat sapientia. ualeat senectus. An aliud expectas aut po-
tius aut certius delirationis signum? PAR. Musæ Aonides. se

bethides nymphæ, ubi nam gentium delituisse? Monstra mihi hæc
 & quidem portentosissima uidentur. quis hoc credat? aut qui nam
 fieri hoc potest? quod ne Diſ quidem ipſi uideri debeant paſſu-
 ri. ALTILIVS. Certa res eſt. PAR. Aſino ne uehi etiam
 perornato, per urbem in publico, per regionem urbis frequentissi-
 mam, ſexagenarium hominem, regis actionibus præſidentem, mo-
 ribus tam compositis, inſtitutis tam rigidis? Vale, uale Apollo. Si ue-
 rum eſſe hoc ſenſero, naturam ipſam credam iam repuerasſere. ſed
 commodiſſime nobis offertur, ut uideo, Chariteus colloquamur cum
 homine. Quid quod conturbatiuſculum domo prodire intellego?

CHA. Laudent qui uelint ſenectutem, mihi quidem ſapientiſſi-
 me inſtitutum uidetur, ſexagenarij e ponte ut deſcerentur in Tybe-
 rim. Quin bene mecum actum putem, ante quàm hæc uideam,
 quàm hunc annum attigerim, ſi uel ſcapariã cum Charonte exer-
 cuero. PAR. Charitee Charitee. ſiſte Charitee. ſalue. quo pro-
 peras? quæ te res tam impotenter agit? Siſte gradum. amicorum
 res agitur. iubet hoc amicitia, uel humanitas id poſtulat tua. CHA.
 Ne per Deos quiſquis es, ne obſecro me ab itinere incepto reuocet.

PAR. Maior res agitur. Siſte. ſalue. Quo te? CHA. Quo aſinus
 imperat. PAR. Quid malam in rem, aſinarium iam ne agis?

CHA. Quin aſinus ipſe me agit. PAR. Iam, ut uideo, deli-
 rauimus, actum, atq; tranſactum eſt de ſene, ut uideo. Explicet ob-
 ſecro, quid hoc eſt, quod aſinus te te agit. CHA. Quin immo
 impellit, ac proterit. Tu rem ipſam uide. Propero ad ærarios fabros
 comparaturus diuerſi generis tintinnabula, cingulum item ſericum di-
 uerſicolorem, qui cum intextis tintinnabulis, aſini collum exornem.
 Flamen quoq; purpureum auro intertextum empturus, ad illius fron-
 tem appenſum aurata fibula, perinde ac ſtabellum, aſino uentum in
 calore quod exeat. PAR. Diſ boni quid ego eſ Chariteo audio.

CHA. Quid iſtis Parde oculis uideas, domum ſi meam ingreſſus
 fueris, bracteolas argenteas, auratas lamellas, ſoſculos etiam gem-
 matos auro intertextos aſino parari. Vſque adeo cum ſapientia ſimul
 cultus quoq; ac comptus ad aſinum tranſiit. Hoc hoc illud eſt, quod
 dici ſolet, omnia tempus ſuum ſortito conſequi. Maiora ne aut audi-
 re aut ſentire uultis? Epistolam legite, quàm nuper ſuis ex ortis ueſter
 ſenex, quod gaudere oppido abunde poteſtis, ad pueritiam iam re-
 greſſum, ad me per curſorem quàm feſtinatiſſime miſit.

EPISTOLA.

Amabo Charitee meus ocule, pectinẽ mihi auratum emito, q̄ ſit ebur-

neus, Praxitelitus, q̄ dū strigitur, dū dorso agitur, tinniat mihi, subblā
diatur aīo meo, qui risum pelliciat atq; hilaritudinem. qd enim a fello
meo delicatius? uult sibi applaudi. uult dici bellissima uerba. faciat mi
hi delicias, dū ei frontem defrigo, dū uersiculos sucino. Quin te bea
torem ut faciam, & hoc accipe. Apposui deliciaolo meo ē melle ienta
culum. ubi illud delinxit osculo me confestim petijt, tam blande, ut ei
quoq; amplexum cum osculo retulerim. beauit me, cupio & illum
beatum esse. Tu uero meus amcule & illud statim cura. Timet deli
ciolum meum muscas, calores fugitat, perrectato institores omnes,
dum ē tenuissimo serico stragulu compares, quo intectus Arion meus,
Cyllarus meus, muscarum aut culicum aculos ne sentiat, atq; id cū
primis effice, ut sit quā fulgentissimum stragulum, delicatissimum
textum, solidissimum muscarum repagulum. Ne uero aut murere, aut
indigne feras domini delicias. uide & contemplare ex asino, atq; in
asino Pythagoricam disciplinam. Nam hęc ad te dum scribo, pelle
gente a fello, ipse a commodatis humanam ad enuntiationem labris
distichon hoc effudit.

ⁿ Melle meus me pascit herus, pro melle recipit.

ⁿ Oscula, complexum pro sagulo excipiet.

Iudicabis aut Marsum, aut Cornificium in a fello meo uersus edere.
Illud quoq; summo studio, ac deditissima curabis opera, uti stabellum
pauoninum, quod sit quā oculatissimum, per hunc ipsum puerum
ad me mittas, quo in umbra, atq; in aestu, meo deliciaolo uentum fa
ciam. Recte uale, nam et ego cū domino, sine quo uita mihi nulla est,
ualco etiam ualentissime. P A R. Hęc quidem epistola mēra est de
liratio, aut merus potius nostrum omnium dolor. Quando autem
delirium ipsum radices non dum altiores egit, tentandum est, quā
possimus diligentissime, uti curetur. A L. Mihi quidem Actius con
ueniendus uidetur, qui nuper ē Roma itineris, ac laborum socius cū
illo redijt, uti ex eo perscrutemur, num quę signa delirium anteces
serint, si qua fortasse ad sanitatem regrediūdi relicta spes intelle gatur.
P A R. Longe optime consultum uidetur. Quo arca familiarem,
atq; amicum hominem conueniamus, uti eo ipso comite in hortos ad
fenem proficiscamur.

Actius. Pardus. Altilius.

A C T.

C liuum hunc Musarum esse uolebat noster Crassus, immo pace uestra
dixerim meus. is enim me instituit, is me studijs his dedicauit. illi debē

tur quæ in me insunt, si qua laude digna insunt, omnia. PAR. Miror Lucium Crassum corpore tam obeso, uiribus non satis ualidis cliuum hunc quanquam amœnum, ascensu tamen non indifficilem, ut ex te tam sæpe audio, pedibus frequentasse. ACT. Mira etiam cum uoluptate, nam & sæpicule confidebat sub arbusculis, aut muscoso aliquo conuiescebat in lapide, ueterum Poëtarum, aut siquos ipse lucubrasset uersiculos interim referens. multa etiam sæpe aut ipse docens, aut nos quæ eum sequebamur per cunctatus. Ad hæc dicere nobis solebat, quo labor ipse ascensionis esset leuior, collem hunc Heliconem & sibi, & nobis esse, neque posse Musarum ad templum, nisi cliuo perueniri, quem Virgilius ipse singulis ferme diebus ascendere esset solitus, ubi post & uillam sibi comparasset, & moriens humari testamento cauisset. AL. Recte sane hæc ut cætera Lucius. Quando autem aliud nunc agimus, missum illum tantisper faciamus, dum quod nos tãtopere male habet, sciscitemur illud, si qua uia senis nostri delirio obuiamiri possit. Age Acti Romæ cum ageres, qualem se in obeundis Iouianus negotijs, qualem in suadenda, aut componenda pace nunc in urbe, nunc in castris, aut in itinere ipso egerit, explica, edoce, explica. nostrum omnium una res agitur. ACT. Quem se se egerit ipsa res docet, pacem enim obsistente Cardinalium collegio, quibus uoluit conditionibus perfecti. Miserati sæpe sumus senem languenti corpore, medijs diebus, ardentissimo sole, per frequentissimos latrones, quibus itinera circumfessa erant, nunc ex urbe ad Alphonsum in castra, nunc e castris ad Innocentium Romam properare, ut qui illum sequebamur, de senis uita actum iã in singulas propè horas nobiscum ipsi dolentes quereremur. Itaque diligentiam si requiras, nihil illo etiam ad minima quæque momenta attentius, si prudentiam, nihil omnino consideratius, ut non modo laudem, uerum summam sibi principum hominum admirationem, cum magna etiam populi Romani beneuolentia conciliarit. PAR. Non uidetur in tam breui præsertim spatio, parata esse potuisse aliqua ad delirationem uia. AL. Quæ obsecro in itinere, atque in reditu eius consuetudo, qui etiam sermones erant? ACT. Consuetudo qualis antehac semper fuit, multum cogitandi, plurima secum in animo uoluendi, neque enim tempus ullum labi frustra patiebatur. Erat illi post alias, atque alias publicis de rebus cogitationes, in ore Urania, quod a se non dum perpolita esset, neque uti sæpe penumero etiam querebatur, aut capillum bene cultum haberet, aut faciem puellarem ad comptum satis extersam, quæque ad Hymenæum uocata, non dum dignam nuptijs uestem, aut dignum Talasio mun-

dum induisset. PAR. Nullū hactenus, ut sentio, repuerascendi signum. ACT. Sermones autem post conuictas illas mentis agitationes erant quā iucundissimi, ut affirmari in eo iure potuerit Labe-
rianum illud,

Facundum comitem in uia pro uehiculo esse.

Sæpe etiam multa nobis ex antiquitatibus referebat, ut quem locum aduertisset, in quo nauatum a maioribus aliquid, memoria teneret. Vbi ad meritoriam peruentum esset, ibi cum familiaribus quantum leporis erat, quantum hilaritatis: uti labor omnis abiret in uoluptate. In cœna atq; inter discumbendum, nihil triste passus unquam. Oppor-
tere in mensa læta, atq; exhilarantia esse omnia, neq; iniuriam. Bac-
co faciendam, qui letitiæ esset dator. Seueritatem in foro, tristitiam in
funere, cunctationem in capiendo consilio, superalium in senatu reti-
nendum esse dicebat. Talem itaq; noster senex in itinere, quod com-
mendare etiam debeatis, se se ubiq; præstitit. PAR. Quid igitur
Altili, uidentur ne tibi hæc delirio tam repentino conuenire? Vides
quantam temporis, quantam rerum ipsarum pensitationem habuerit?
Quamobrem etiam, atq; etiam uidendum nobis censeo, ne delirare
ipsi cum hac delirij suspitione merito uideamur. ACT. Quod qui-
dem ipsum etiam, atq; etiam prouidendum duco, quando in singulis
actionibus ita se, suaq; omnia circumspererit, uti diuina quadam pro-
uidentia duce, ac magistra, res magnas illas quidem, ac perdifficiles
confesse uideri possit. Et eliuo hoc inter dicendum, atq; examinandū
superato, illud a nobis sequendum iudico, ne ad Iouianum hac cum
suspitione in hortos procedamus, uerum ex insidijs quasi quibusdam,
quid ipse agat, quid cum uillico, quod de more eius est, faciendū pro-
ponat, animaduertamus. Eius enim oratio uiam nobis patefaciet cum
inueniendi cū eo sermonis, tum remedij cogitandi. Quocirca post contextā
illam marino è rore sæpiculam, insidendum, aut delitescendū potius
nobis statuo, inde singula eius uerba, gestus, ac motus etiam singulos
commodissime aucepimus. quodq; et uolo, et cupio, ac dijs bene iu-
uantibus spero, et animus etiam præfagit. Musæ ipse sacerdote suū,
antistitem suum, sacrorum suorum arcanarium minime desertū pa-
tientur. AL. Quod et nos omnes fore optamus, et uotis, ac sup-
plicijs acceptum Musis ipsis referemus. Delitescendi autem consiliū mea
sententia magis è re capi non posset. Quocirca per diuerticulum ad
sæpem, magno silentio, passibus etiam minime strepentibus pro gredi-
mini, duce me, qui agrum omnem, singulasq; arbusculas exactissime
nouerim. Vos autem pueri hic nos manete.

Pontanus, Faselio uillicus, Pardus.

PON.

Tantam istam inferendi diligentiam uel admiror Faselio, nimiam tamen illam detrimentorum lunæ observationem, arcessendæ frugis gratia, iure quidem im probauerim multum. Etenim ipsam illam uim, qua fructus elicitur, non tam ad ultimos illos properantis ad coitum lunæ dies, quàm ad surculos ipsos referendam statuo, quippe ubi è ramo frugifero, atq; ad solem exposito, ex ipsoq; rami cacumine lecti fuerint, etiam primo insitionis anno frugem proferunt. Quodq; ipsa me obseruatio docuit, neq; aut offuerint multum, aut contulerint ualde lunæ detrimenta, si aut despectius præterita in insitione fuerint, aut diligentius obseruata. Quid enim conferre possunt surculi, male quide atq; infelici è parte lecti, ut qui enascantur tanquam inutiles, atq; superfluentes, quiq; in fragella solum exeant, nec si non eruncantur, ad fructum etiam multos post annos ueniant, in quibus præter proceritatem ipsam nihil est iure quod laudes. Quam quidem pronocandæ feracitati mirum in modum alienam experientia ipsa docet, inde enim fragella dicta, quod perinde, ac inutelia, refringenda præcipiantur ipso è stipite. Quòcirca obseruare te cum primis uelim ramum, solare, frugiferum, ualentè, è quo surculum legas. Hoc ubi feceris, non è quod te oporteat detrimentorum lunæ curam tantam suscipere, non quod non è hoc ipse magnopere probem, tunc enim suauis ipse coactior, atq; uegetior est, è glutinosi plus habet, sed quod nolim cuncta te ad lunam referre, quando et ars hanc ad rem plurimum conferat. Cum plena etiam luna insitionem optime cedere sepiuscule sim expertus, tunc enim procerior arbor prouenit, atq; in conum orbiculata quadã specie honestius protenditur. Nec te poeniteat, ubi luxuriosior creuerit, annis insequentibus immunito lunæ lumine, amputatis ramulis luxuriam ipsam ne maiorem in proceritatem exeat, falce compescere. Nec uero, quod colonos nostraters latet, parum etiam conferet ad insitionis fecunditatem signiferi orbis cognitio, hoc est quæ signa, inferendi tempore, luna peragret, quo etiam è loco Saturnum intueatur, cuius stella inde sit dicta, quod potissimum satui præsit, cum sit uis eius terrena, ac seminibus præesse itelligatur. Illud autè mirifice improbandum, atq; ausandum Faselio duco, qd sub hæc frigora tam repete à septentrionalibus excitata, Citrios irrigare multa èt aqua ne glexeris. Nihil eni tam opere ab hoc arboris genere frigus arceat, qd frigidissimus èt diebus, assidua irrigatio. quod ratio ipsa docet. Sigdè hyeme ipsa, cõcretòq; septentrionali

flatu aëre, qui teræ calor inest, magis, ac magis in se cogitur, cum euaporare concretæ gelu, teræ superficie, ac solo nequeat. Quæ scilicet cum arbor hæc siticulosa sit admodum, tepescente teræ sinu, aquam ad radices appetentius trahit, quæ in alimentum uersa, robustiorem se se aduersus frigus agit, neque enim exarescere suum patitur, perinde, ac materno fota sinu, Huberibusque nutritis admota. Ad hæc arbuscula ipsa ad summam penè teram fibras etiã plurimas, capillamenta quæ si quædam agit, & quidem minutissima, quæ glebulis inherentes, multum inde suum ebibunt. hæc autem ipsæ glebulæ ut magis, ac magis capillamentis ipsis propter humidi uim conlicantur, sic rursus siciores effectæ, penitusque exuictæ capillamenta desitiuunt. Quod assidua quidè irrigatio omnino prohibet. Hanc ob re tu æstate, tum hyeme, opportuna irrigatione iuuanda est. P A R. Ratio hæc, colendarumque atriorum cura, ingenij haudquaquam delirantis uideri potest. Non male igitur nobiscum agitur, nec est quod Musis gratias non agamus. P O N. Te uero mi Faselio (quod seruatum etiã mirifice laudo) in spicere cum primis uelim, ne tera imbribus madescente, planta scrobibus infodias, quod permadido solo, ac liquecente tera, radices minus inhaereant, nec multo post mucidæ effectæ corrumpantur, uerũ impendente pluuia. Vbi enim siccò, non tamen arescente solo plantam infoderis, radices ipsæ magis, ac magis teræ coniunguntur, & fossa ipsa imbrem statim insequentem cupientissime pariter, ac siticulosissime recipit, fit etiã ut solam ipsum magis, ac magis spissetur a pluuia, & radices alimentum suum teræ concliatiũ, uberius multo ducant. Ac ne te morer diutius, exigendo præsertim operi instructum, hoc age mi Faselio, priusquam destinatam aggrediare operam, brasculis illis (sunt enim perpaucæ) sarculũ benigne admoue, finumque radicibus propius sarriendo aggere, quippe quæ tanquam lacte suo destitutæ uideatur pallefcere, ac de matre queri. Tu illis opera tua subueni, nam & hero gratum feceris, & tibi iusculũ paraueris, quicum bubulam concinnes, suadidiãque perueterere. Hoc est quod te agere destinatum ante operã uelim. Interea meã me operã asello reddere par è, ne queri de hero suo iure possit. Heus puer, hoc age. siste huc ad me Cyllarũ quæ nitidissimũ, atque id uide, ne dũ sericã illũ reſte ductitas, dũ ludere feroculus cupit, calcibus i te insiliat. noui ego Cyllarinas illecebras, ac domini nostri blanditias. P A R. Utinã ne hic hodie asinus nobilitate etiã Romana nos donet, agnomineque Asinios. Aures arrigite, idque in primis post sæpiculam uidete, ne musitari a uobis quippiam sentiatur.

Pontanus, Puer, Pardus.

P O N.

Lepidissime illud quidem, & rudissimul, & calcitrat meum delictum. Vnum illud defuit, asini quod solent. an fortasse puduit, hero presente crepitulum facere? Vides quid praestet domini reuerentia? Blandire illi bone puer, fac delicias, dic bellum aliquid. P V. Agedum Cyllare. Eugedum heros Arionice, herum honora, praesta quod ludentes asini heris solent in sanientibus, cocrepa musicum aliquid, effice si qui delirium aucupantur nostrum, tuum ad numerum choreas ut ductitent. Septenarium iam fudit Calliopa. Salite hortenses dea. heus heros Cyllarice numeros muta. Ana pesticum uolo. non placet in hortis Iambicum. theatris illum ablegi. P O N. Amabo ut belle, ut in tempore omnia? P A R. Asinus crepat. nos dirumpimur. P V. Heus Arion non mihi inter crepitandum placent caudinae blanditiae. Tu te tibi caudam contineto, nec est quod muscas ab ore arceas stabello ta lepido. Apage caudam a me, hero tuo suadaneas istas blanditias ta suaues uentila. P O N. Dic illi bene, ne subirasatur uide. Age Arionice, age Cyllarice heros, sentiat te herus tuus hilarissimum, quando ipse hilarissimus es. P V. Choream ductitat bestiola. Secedite Napaea, ne dum ternarium saltat, dum septenarium crepitat, ora uestra illinuat purpurisso. Ah, ah, ah. post ingentes tonitrus ingentes pluuia. Totuit ne lepidius, ac magis in tempore? O' Arabicam mercem, Sabaeaq; odora menta. A gite amantes legite Muscum, feligite Zebethum, implete arcualas Cyprio puluillo. P O N. O' delicias regias, o' ludos Olympico deo dignos. Non ne ego te uel ostro instrauerim Tyro abusq; ad uecto? P V. Fac uenalem purpurissum prius, inde tibi pretium proueniet tantum, uti fibulas etiam aureas ostro suffigas, & auratas cingulas, quibus illud subliges here delicatissime. Sed quid hoc Cyllare, quid inquam Cyllare? Disciplina haec haudquaquam mihi satis placet. Ludum ego hero, non mihi calcitronem instituo. Abi malam in rem. blandicias istas tam urbanas & lude, & applaude domino tuo tam delicato. Ad illum recursa, illi concine cantilenas istas tam lepidas, asinum istud plectrum illi perpulsato. An etiam me petis? etiam, atque etiam calce petis? proripe hinc te ad regem tuum nequissime. P A R. Quid hoc? post suauiu etiam complexu parat quadrupes spurcissimus? Pulchrum erit uidere, quo asinae istae deliciae tandem (ut dici solet) euasurae sint. P O N. Cur puero tam bono mi aselle malefecisti? quid altorem tuum uerberasti tam impie? An fortasse hordeu

ubi negligentius excreuit? an pectinem dorso inclementius duxit?
 Vide, uide amabo, ut præ pudore auriculas, ut etiam caput demisit,
 ut obtinuit pudentissimus, pigetq; poenitetq; maleficij. Eum ego te asel
 leuelim, qui in asino quidem asini nihil habeas, qui sis urbanitate
 etiam ipse urbanior. P A R. Utinam ne in homine, qui asinos sese
 gerant, etiam plurimos inuenias. peruetusta est asinorum familia,
 longeq; nostris in urbibus numerosa. quæ enim domus, q̄ hæc ipsa,
 tam ferax est, tamq; foecunda propagatu, atq; altu? P O N. Hoc sis
 puer, stabellum cape, culicemq; illum quàm potes longissime abige.
 P V. Abegi. saluus est dominus. salua est patria. P O N. Defrica illi
 auriculas manu quàm leuissima. Vides ut gestit? ut tibi gratias agit?
 Tantum non tete osculatur. P V. Abi malam in rem. Osculi genus
 tam suaue, asininas morsunculas tam illecebrasas. Labra penè mor-
 dicus abripuit. P O N. Ne quæso irascere. Titillatum tu te illi conasti.
 tua est culpa. Duc palmam urbaniuscule ad coxam atq; sub ipsis ili-
 bus. P V. Hoc ago. Caue bestia. quid caudam uentilas? P O N. Ne
 time. uentrem defrica. idq; quàm leuissime ut agas, uide. P V. Istud
 ipsum agitur. Quid crepitas nequissime. quid pedem quassas?
 uide bestia. caue bestia. siste ingratisime. Here tu te hoc ipsum
 age. mihi in asino imperium nullum est. Costas penè calce diffregit.
 Non sensisti ut insonuit pectus? Noua hæc musica asininaq; harmo-
 nia placeat cuius. Mihi cum asino posthac res nulla futura est am-
 plius, nisi uectem etiã quernũ testem adhibueris. P O N. Abijt puer,
 et quidè exclamabundus. Vides qd egisti mea uoluptas? nõ te pudet,
 non te poenitet, altorem tuum etiam liberalissimum pulsaſse tam illi-
 beraliter? deturbasse in terram pexorem obsequentissimum tam im-
 pudenter, deblanditoremq; tam lepidum penè mutilum fecisse nari-
 bus, tanta cum peruicacia? Non intellegis quàm inique à te factum sit,
 quàm etiam impotenter? Amabo deliciae meæ mores istos a grestiores
 exue, atque urbaniores indue. Quid puerum pepulisti tibi tantopere
 indulgentem? Abundas otio, abundas hordeo, ornamentis etiam re-
 gijs nites. Decet in ista fortuna minime uti superbia. Humanitate, atq;
 mansuetudinẽ, secundæ par est fortunæ comitem esse. Hos te mores in-
 duere uelim, hanc hero gratiam tot pro beneficijs referre. Demisisti
 caput. heri pedes delinxisti. nunc mihi places, dum te malefacti poe-
 nitet, dum erratorum pudet. Hoc est sapere, in manifesto peccato audi-
 re institutorem, ac recte monentis præceptis obtemperare. Atqui ego te
 pro poenitentia ista, uel sapone etiam Arabicis odoramentis condito to-
 tum perluerim, caputq; & pedes lauerim. Peluem affer te, in eaq; te

pidiusculam plurimam, myrteo cum liquore, Arabicisq; condimentis, quibus meas delicias more meo inungam. Bene habet. aqua tepidiuscula est, & multa peluis bene ampla, & nitida. liquor quem ipsius Veneris dicitur condimenta, quæ Arabiam illam quidem Eudæmonem huc se cum pertulisse uideatur. Quod ultra desyderem, nihil est, nisi te ut agas quàm mansuetissimum, dum te perluo, dum te inungo delictum meum. P A R. Expecto uidere quo res hæc tandem sit euasura. P O N. Etiam blandiris, iam caudam surrigis, iam capi te micat, totusq; toto etiam corpore meus asine mihi gessus. Euge delictæ, ut ego te nitore ipso nitidiorum reddam. Siste age caudam ad me, dum bene lotam depecto quàm lepidissime, depexamq; multo lepidius inungo. Quid hoc? quod clunes mihi lauandas asine uix porrigis? Non satis placet ista pedum tam frequens agitatio. An fortasse titillatus ipse te cepit? Hoc illud est mea animula. Verum ego longè te ineptior sum, qui non a capite loturam cœperim. Sensisti erratum. hinc mihi caput obijcis, hinc auriculis micat. Euge lepidissime ut te delectat tepidula, ut frictio tam minuta & lenis? nunc me beas, dum dentes restringis, dum morsiunculas tam urbanas ludis. Apage, apage animal inertissimum, bestiam in gratissimam. ut mihi penè manum utraq; moribus abripuit? ut me tam offirmato capite percussim in terram, atq; in lutum excussim? Arbuscula hæc uix presidio mihi fuit, quo minus stratum me atq; humi iacentem, & pedibus inculcauerit, & calibus totum diffregerit. Apage te bestiam nequissimam. Hoc hoc illud est. tarde illud didici senex improvidus, homo minime cōsideratus, hoc hoc, inquam, illud est quàm usurpatissimum, asino caput qui lauent, eos operam cum sapone amittere, in asinum abire, qui asino delectetur. Quod circa frustra me & opera, & sumptus habuit. Sero hoc didici. imat tamen exēplo ipso alios commouisse. O asini ualete iam, ualete post hac ipsa cum Arcadia asini.

Faselio uillicus, Pontanus.

F A.

Quod sine ulla fiat fraude, meoq; per magno cum commodo, meum mihi nomē mutari here cupio, deq; Faselione fieri Caselio uolo. P O N. Delectat me utiq; nominis commutatio, teq; ut de marra, rastroisq; benemeritum, donatumq; Parmensi illo casleo perueterem, & grandem, saluere Caselionem iubeo. Vale Caselio iam, salue Caselio, multumq; ac diu salue. F A. Nec me dono ipso indignum here duco, et libens, uolensq; illud mancipio, nanq; et uetustulus est

*caesus, & sarcinam prorsus asinariam exaequat. Alia tamen est no-
 ui nominis & ratio, & causa. Ducere uxorem uolo, neq; ubi cum illa
 inhabitem, mihi casa est ulla, hac ego a te donatus, dono ex ipso a gno-
 mnari Caselio uolo. P O N. An ne magis Vxorior? quando uxoris
 gratia donari a me, & ipse cupis, & ego te donatum opto, uxoriae
 rei gratia. Ecce tibi unciolas tris, Robertinis e liliatis. cape libellam,
 siquidem & probi, & iusti sunt pensi. his tu te tibi casam commerca-
 tor, his in suburbanis locis. Vin ab hero tuo aliud? F A. Et unciolas ac-
 cipio, & aliud est etiamnum here a te impetrare quod cupio. Tu me
 de rastris, deq; marra benemeritum donas, & recte quidem donas.
 Verum neq; te dieculae illius tam uoluptariae immemorem esse decet,
 gratiamq; mihi ut referas, profecto par est. Lectulus ille in quo deli-
 cias tam illecebrosas meridiator fecisti, nouam sibi supellectilem cupit,
 nouas munditias. ipseq; nouus sum maritus, noua & illa nupta.
 P O N. Do, uolo, spodeo, hac tamen conditione, ut mihi quoq; F A.
 Quid est hoc uerbi? Caselio ego sum non coquus. P O N. Hoc uer-
 bi illud quidem ipsum est mi Caselio, ut mihi peruerteri, liberali, atq;
 indulgenti hero tuo illud liceat etiam in luce. C A. Tute tibi hoc ui-
 deto, dum foueo, dum aro, ut luceat, nunquam enim agrum ipse no-
 cturnis arauit in tenebris. P O N. Hoc ipsum est mi Caselio, ara-
 re ego tecum in luce una cum uxorcula agellum uelim. C A. Ora-
 re profecto ad genua quoque prouolutus poter, ne tu irimodio qui-
 dem acercula ab illa, non si quotquot horti Caietani siliquulas fe-
 runt, uel unam solam oculorum pectula in flexione impetrabis. senex,
 edentulus, exuētis medullis, senioq; ipso confectus, atq; incanis malis.
 P O N. Quid si ad tres illas unciolas, atq; ad lectulum accesserit a me
 senio etiam Alphonsinorum? quis et ollas pulmentarias, & patinas, et
 pelues, quaequasi nuper peregrina e materia allata sunt Valentia,
 Balearibusq; ab usq; insulis, ipsa sibi uxor comparet? Teq; cum uide-
 am hilare atq; uxori deditum, illam mihi et illecebrosam uidere iam
 uideor, & rei familiari etiam plus nimio deditam. Cuiq; tenella ipsa
 sit, atq; in suburbis nata, urbanitatem praese ferre scitulas inter puel-
 las, festisq; ut queat diebus, a te ipso summopere uidendum duco. Ego
 mi Caselio no deero. Vult puella crispellas aureolas capiti, uult collo
 redimacula, pedibusq; bracte atulas soleas. Ego haec illi oia, tibi quoq;
 natalitijs in solenibus calceas diuersicolores, tresq; quotannis pnulas
 suillas dabo. C A. Num & penulas? P O N. Et penulas tibi, & su-
 bucula illi rosaceam. Veru age quae so amice Caselio, qbus est papillus
 lis nostra animula? C A. Tum diu sculis, quasq; manu uix inter-
 stringas.*

stringas. PON. Innata ne obsecro adhuc illic est illi lanugo? CA. Nulla. PON. Non aculam fortasse adhibuit. CA. Nullum adhuc illa fecit tonsuram. putula tota est, nedum glabris femoralis. PON. Illud quoque non est quod erubescas, fateare amabo, salit ne, dum ipse salis nostrum deliciaum? CA. Et salit & suffilit, & auram inspirat, & scit quibus uerbis paxillum surrigat, fermentillam dicas. PON. Quid hoc uerbi mihi Caselio? CA. An ignoras fermento contumescere panificiam materiam? habet illa in manibus, in uerbis, in ocellis fermentum. PON. Venus bona. Ut blande, ut deliciose futurum est mihi cum fermentilla nostra. Sed heus tu mihi Caselio nihil ultra continendus est sermo. Ecce Philosophos exhibere uultum grauem aduenientibus, ac si de ipsorum aduentu collocuti hic simus diutius.

Pontanus. Caselio. Pardus.

PON.

V ideo ne ego heroes meos? illi ipsi sunt. dies hic profecto mihi futurus est oppido quam iucundus. Valeat omnino res asinaria. heus tu Caselio, de fermentilla nulla sit cum heroibus nostris omnino mentio. Atque ut illa secum magis, ac magis gaudeat, asinum tam belle cultum, cuteque tam nitida, dono ad eam ducto. quo satis illam scio & ruris, et suburbiorum puellas superaturam specie, compta, stratu, diu ad nuptias uocata, dum Puteolanas it ad balneas, etiam blandientibus crepitaculis. CA. Here mihi crede hoc asello tibi ab illa & merides hermaphroditinas comparabis, & noctes. PON. Amabo quid nobis cum hermaphrodito? CA. quod illa sic tecum amplexa, innexa, implicita acumbet, incumbetque in lecto, itaque inhærescet, hederescetque tecum una, hermaphroditum simul ut agatis. ego tum uobis inspergam & rosam & myrtum, & quos illa è atrio deliquauit rores. Verum appropereant iam Philosophi, ego ad eos præcurro. CA. Expectati aduenitis uiri boni, & herus de aduentu quæ sollicitus erat uestro, quod diebus compluribus ad eum non uenissetis. Salicet domestica uos negotia impediuerunt. Ipse uero de brassiculis diebus his sollicitus fuit admodum, quod eruculis aueruncandis non medicamenta, non Catonianum illud carmen quicquam profuerit. omnia exederunt holera bestiolæ tam importunæ. PAR. Senex ergo noster etiam in hortis non caret molestia? CA. Adite ad illum, liberabitis eum alia etiam molestia. Diem hunc pene dimis

diatum trā segit in uolutando cœlo, qđ in manibus adhuc ęt uersat. Cui mea qđem sententia cerebrū identidem uolutatur, ęt ni ego ac curissem, amiculo iniecto, dum cœlum suspectat, ęt aluearia nō uidei, in ea illatus, apiculę illum confecissent. Mihi credite, senes tandem omnes, quiq; præsertim habiti sunt sapiētiores, delirio corripitūtur. Senex autem hic noster non uno delirat modo. Sed non est nunc plura dicendi locus, diatm apertius aliās. A more etiam insanit, ac nutrire sibi capillum coepit, qui tonso semper capite in hunc usq; diē, atq; in publicum proasserit. P A R. Faselio mi dic obsecro, de asino quid est actum? C A. Pērbene, quod non senem ipsum confecat iā talibus, adeo nihil desuit ad lumbifragum. quem dono mihi post id dedit, suboluit enim illi uxorculam mihi ducendam, nihil enim est eō salacius, ac nescio quomodo in maritas foemellas magis accenditur. P A R. Parcaus oro Faselio, quippe qui solitus sis illi subblandiri, ęt de amore laboranti ferre suppetias. Sed uenit iam ad nos senex, conferamus gradum, ęt hilares hilarem salutemus.

Pardus. Syncerus. Altilius. Cariteus. Pontanus.

P A R.

E t bene ęt feliciter cum familiaribus his tuis agitur, dum te ualentem conspiciamus, dum quę ruris sunt, ea te summo studio, singulari diligentia curantem intuenur. Quodq; quatriduū hoc in secessū, procul ab negotijs, uacuis etiam urbanis curis requiueris, nouum te ex cūdisse aliquid tua pro consuetudine arbitramur. Quō cū tanto etiam iucundius, magisq; e' sententia nobiscum agitur, Eoq; ęt ualentem saluere te hilari maxime animo iubemus, ęt perscrutationibus gratulamur. Quādo otium tibi nullum absq; mentis negotio fuisse tibi unq;, abunde cognitum ęt perspectum nobis est, P O N. Ego uero amicissimos homines, ac Musarum nostrarum alumnos ea uoluptate his in hortis accipio amplectorq;, qua cœlestis res, diebus his, in hac ipsa solitudine, uel magis secessū, sum contemplatus. Siquidem contemplationis ipsius communicatio cum studiosis rerum earundem uiris, is profecto fructus est etiam suauissimus.

F I N I S.

Main body of faint, illegible text, possibly a manuscript or printed page, with several lines of script.